QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS, manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ-octavâ Martii.

M. LUDOVICO POIRIER, Doctore Medico, Præside.

An febre malignâ laborantibus, Juscula viperarum Carnibus medicata?

I.

INORDINATA sanguinis, & ad multum tempus durante intra cordis ventriculos fermentatione, quam naturæ limites excedens calor sæpiùs sequitur, febrem circumscribes : neque inconsultiùs malignæ nomen dabis ei, quæ securitatis specie incautis ut plurimùm imponens, lethales hominum vitæ struit insidias. Epidemia ferè semper, ac interdum contagiosa eodem tempore plures invadit, inferrique solet ab aëre, vel alimentis pessimâ labe inquinatis. Pulsus in eâ frequens, sed simul parvus & debilis, inæqualis, intermittens, aut deficiens. Quantò minor percipitur calor, tantò periculosior. Sopor aut veternus magis, at vigiliæ & delirium minùs sæviunt. Huic accedunt malorum scenæ, stomachi dolor, nausea, vomitus, alui fluxus, sanguinis è naribus, uterove stillicidium, ac tandem maculæ tum magnitudine, tum colore diversæ in corporis superficie erumpentes, quibus non rarò fatalis tragædia clauditur, nec non medici peritiam mors inexpectata deludit.

II.

HUMORUM malignitate, ex quâ febris, in ore Medicorum, nihil frequentius, ſed quid reverâ tam pravo, ac infenſo corruptionis modo intelligendum, definire arduum opus. Qui qualitatum occultarum efficientiam effutiunt, ſuam ignorantiam magis velare, quàm rei veritatem explanare videntur. Agendi potentiam ſuccorum variorum, ex quibus ritè commixtis componitur ſanguinis latex bonæ valetudinis parens, diverſis ſaporibus, acrimoniâ, ſalſedine, amarore, aciditate, acerbitate, auſteritate, vel aliis non inſulsè diſtingues, aut æſtimabis. Sapore ne deſignes, quæ fit à linguâ, perceptionem, ſed potiùs corporis ſapidi particularum figuram & motum. Liquorum quilibet vaſis contentus, ſi nonullâ ſui portione disjungatur à ſociis, nec ampliùs per minima mixtus eorum nexu coerceatur, fit fermentum, quod indole varium morborum varia genera producit. Non parùm his internoſcendis, curandiſve confert ars chymica, quæ medentibus egregia ſuppeditans remedia, mutationes quibus humores in corpore ſunt obnoxii non obſcurè ſuis declarat operibus.

III.

QUANTUM differunt humorum ἔγκαυσις καὶ σῆψις, tantùm diſcrepant innocentis, & maligni moris febres; ſcilicet in his ſanguinis molem uberior acidus humor penitùs adeo diſſolvit, vel interdum concretione compingit, ut, qui pauci ſuperſunt ſpiritus, praviſſimi illìc ſeri copiâ quaſi obruantur: hìc velut in viſco inhæreſcentes intricentur, utrinque magna rerum calamitas; dicam, an deſperatio. Totus ac integer lactis liquor ignis calore rareſit, & fervet, neque propterea labefactatur, aut deſtruitur ejus nativa compages, quæ mox corrumpitur acidis. Muſtum ebulliens in

dolio fit vinum defœcatius, quod pluribus amiſſis ſpiritibus abit in vappam. Non aliter in febribus malignis de ſanguine judicandum, cujus à ſe invicem principiorum disjunctio breviorem, certioremque viam aperit ad interitum, quò major pejorque fuerit. Adverſum qui ſe imminenti præſtare conatur exitio, juſcula non minùs quàm medicamenta ſeligat, quæ ad illud retardandum, aut ſuperandum ſuâ peculiari virtute prodeſſe poſſint.

IV.

SPES eum fruſtratur in acutorum præſertim morborum curatione, qui victus rationi diligenter non attendit. Si noſtram ægros alendi methodum cum eâ quam olim inſtituit Hippocrates compararemus, illicò pateret tantùm decretam à divino ſene alimentorum tenuitatem recedere ab hodierno ægrotantium victu, quantùm quotidiana noſtra vivendi luxuries ab optimâ frugalitate, maximéque nobis Aſclepiadæâ imitatione interdictum fuiſſe ab hominum gulâ, & conſuetudine. Præſcribebant veteres Medici melicratum, oxymel, vel pauculum ptiſanæ ſuccum ſemel in die ſorbendum, cum plura nunc ex vituli & pulli carnibus Juſcula porrigamus. His ad febrem malignam, ſi viperas incoxeris, quàm prudenter indicato ſatisfeceris nutriendi modo. Chylus & ſanguis qualitate reſpondent aſſumptis; ſuppeditabitur à viperinis Juſculis uterque multo, quod alkali volatile vocant, ſpiritibus noſtris analogo ſale ſaturatus. Sic infeſtæ, quam acidi humores importare ſolent, obſiſtes perniciei, & qui priùs ab illis coagulabantur, fluidiores; qui diſſolvebantur, fient conſiſtentiores. Dubitas, aut ſaltem tam mirabilium effectuum exempla requiris; ætatis noſtræ chymicorum animum applices experimentis, neque artem tædeat addiſcere quam Vir univerſo literaturæ politioris genere, æquè ac medendi

ſagacitate præſtantior Archiatrorum comes in horto Regio publicis quondam ſermonibus excoluit. Si renuis, ſola te morabitur pertinacia, quin magnas viperarum ſaliumque volatilium dotes agnoſcas.

V.

QUOD vivacis, & agilis viperæ carnis efficacitate ipſius Elephantiaſis deleri poſſit fœditas, Galeni libros vel oſcitanter legenti manifeſtum eſt: Sed quòd ejuſdem virtute febrium malignarum curatio promoveatur, ſi non invenit, ſaltem politior chymia confirmavit. Hujus ope plurimum ex diſtillatis viperis habetur ſal volatile, quod motu celerrimum ſpiritus recreat & reficit, intimas corporis partes facilè ſubit, occluſos vaſorum tubulos, cohærentes meatus aperit, concretos humores momento diſſolvit, vel diſſolutos, fermentum acidum infringendo, aut ſubigendo cogit. Eximium adeo præſidium ſeorſim exhibitum, ne ſanguinis ὄγκον nimis extollat, metuis, viperarum corpora ritè præparata decoque Juſculis, quæ illarum ſubtilioribus ac optimis partibus medicata mitiùs ac ſecuriùs agent. In laborioſam non minùs quàm vietam trochiſcorum Andromachi compoſitionem, ad theriacam concinnandam, bene animadvertit recentiorum oculata ſedulitas; ut integra ſervaretur viperarum virtus. Hanc ſi ſapias, febre malignâ laborantium vivendi rationi ſimul, & convenientiori indicationis legi accommodabis.

Ergo febre malignâ laborantibus, Juſcula viperarum carnibus medicata.

Proponebat Lutetiæ JOANNES GELLY, à ſancto Paulo de Fœnoüilledes Electenſis, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1694.

Apud Franciſcum Muguet, Regis & Facultatis Medicinæ Typographum.